pignorancia. Fuerunt enim ante nos pseudo xpi sicut est iste Symon. Fuerunt pseudo apostoli. fuerunt et pseudo prophete. Qui contra sacros ordines venientes euacuare studuerunt veritatem. Et contra hos necesse erat agere huic viro qui ex infancia sua nichil aliud studii gesserat nisi ut diuine legis scrutaretur misteria. in quibus hoc didicerat ut defensor veritatis et persecutor existeret falsitatis. Quia quod persecucio eius non ex emulacione fiebat. sed ex defensione legis. Ipsa veritas de celo eum allocuta est dicens. ego sum veritas quam defendis. Cessa me persequi. quia ego ipsa sum pro qua videris dimicare contra inimicos veritatis. Ergo cum cognouisset ita esse defendebat. Et cepit defendere hanc quam persequebatur semitam xpi que est via veritatis. pure ambulantibus nichilque fallentibus. et vita credentibus sempiterna. Symon dixit. Bone imperator intelligis hanc conspiracionem horum duorum aduersum me. ego sum veritas et isti aduersum me contendunt. Petrus dixit. Nulla veritas in te est. sed ex solo mendacio ista dicis et facis. Nero dixit. Paule tu quid dicis. Paulus dixit. Que aperto audisti. hoc me dixisse crede. Unum enim sentimus. quia vnum habemus dominum ihesum xpm. Symon dixit. Putas bone imperator cum hiis habere me disputacionem qui aduersum me consensum fecerunt. Et conuersus Symon ad apostolos dei dixit. Audite petre et paule. Si hic nichil vobis possum facere. veniam vbi vos me oportet iudicare. Paulus dixit. bone imperator quales minas ostendit. Petrus dixit. Cur non irrideas hominem vanum et alienum capitis. Qui ludificatus a demoniis. putat se manifestari non posse. Symon dixit. Ego vobis parcam. quousque ostendam virtutem meam. Paulus dixit. Quasi tu hinc exiturus sis sanus. Petrus dixit. Nisi viderit Symon virtute domini mei ihesu xpi non se credit xpm non esse. Symon dixit. Sacratissime

imperator noluistis credere quia hii sunt qui circumciduntur et circumcidunt. Paulus dixit. Nos antequam veritatem cognosceremus carnis circumcisionem tenuimus. At ubi veritas apparuit. cordis circumcisione et circumcidimur et circumcidimus. Petrus dixit. Si mala est circumcisio tu quare circumcisus es Symon. Nero dixit. Ergo et Symon circumcisus est. Petrus dixit. Non aliter poterat decipere animas nisi se iudeum simularet et legem dei docendo ostenderet. Nero dixit. Tu Symon ut video zelo duceris et ideo istos persequeris. Est enim ut arbitror zelus magnus inter te et xpm eorum. Et vereor ne ab eis conuincaris et magnis malis consumptus esse videaris. Symon dixit. Seduceris bone imperator. Nero dixit. Quid est seduceris. Hoc namque quod in te video hoc dico evidenter aduersarium esse petri et pauli et magistri eorum. Symon dixit. Xpus pauli magister non fuit. Paulus dixit. Qui petrum presens docuit ipse me per reuelationem instruxit. Namque accusat circumcisos dicat ipse quare circumcisus sit. Symon dixit. Quare me hoc interrogatis. Paulus dixit. Est racio ut te interrogemus. Nero dixit. Cur vereris respondere illis. Symon dixit. Ideo quia adeo precepta est circumcisio illo tempore quo ego eam suscepi. Paulus dixit. Audisti bone imperator quid dixerit Symon. Si ergo bona est circumcisio quare tu circumcisos tradidisti. Et coegisti eos precipitanter occidi. Nero dixit. Sed nec de vobis adhuc bene sencio. Petrus et paulus dixerunt. An tu de nobis bene sencias et male non ad rem pertinet. Nobis autem necesse est ut quod promisit magister noster fiat. Nero dixit. Quid si ego noluero. Petrus dixit. Non quod tu volueris. sed quod nobis ille pollicitus est. Symon dixit. bone imperator homines hii circumuenerunt clemenciam tuam et obligauerunt te. Nero dixit. Sed nec tu adhuc me de te confirmasti. Symon dixit. Quanta signa et bona a me tibi demonstrata sunt. miror quod adhuc dubitare videris. Nero dixit. Ego neque dubito